
BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
59342

III Mag. St. Dr.

Biecki Martini: Quaestio logica de termino.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0002121

695

✠

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QUÆSTIO LOGICA, DE TERMINO.

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS

Magnifici Perillustris & Reuerendissimi Domini,

59342 III

D. M. SAMUELIS FORMANKOWIC,

I. V. DOCTORIS & PROFESSORIS,
Prothonotarij Apostolici: Ecclesiarum Cathedralis Cracou: CANONICI, Collegiatæ SS. Omnium CUSTODIS, Coniusiensis Curati, Contuberniorum Iuridici & Iagelloniani PROVISORIS.
Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis GENERALIS & VIGILANTISSIMI

RECTORIS.

A

M. MARTINO BIELECKI,

Philosophiæ Doctore & Professore, Contubernii Iagelloniani Seniore.

Pro Collegio Minori
Publicè ad Disputandum

PROPOSITA.

In Perauguſto DD. Theologorum Lectorio



ANNO QVO

FInIerat noXaM DeXtro CrVX Læta Tonante. 1687

Mensis Maij Die 17 *Horâ* II.

Permissu Magnifici D. RECTORIS.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Rndiss. Dni. Episcopi Crac: Ducis Seueriæ, Necnon Schol. Nouoduorsc. Typogr.

Omnium rerum Principio & Fini Sine Termino
Deo Optimo Maximo, Trino in Personis, vni in essentia.
&
Sanctissimæ, Incarnatæ veritatis Parenti,
Diuini intellectûs LOGICÆ,
Ad reuocanda in statum libertatis mortis mancipia, Mediatori Dei & hominum
Simpliciter necessariæ.
In cuius conceptu caligant, qui diem gratia prauenientis insuetum negant.
Prima inter puras creaturas Creatoris Operationi, sine affirmatione maculæ, sine negatione
gratiæ: quia adhuc ante abyssos concepta.
IVDICIO, cuncta cum DEO componenti
DISCVRSVI, ex præmissis virtutum veris & immediatis, Partu Virgineo
Omnis Consummationis finem inferenti.
Inuentiuæ argumentorum gratiæ, & Iudicatiuæ, quibus conueniant, Dialecticæ.
Quæ sub vmbra Sacratissimi Spiritûs, concepit Arborem vitæ & scientiæ vocalem,
Quam Apostata Porphirius non intellexit.
Summo Prædicamento, cui subijcitur omne quidquid infra Deum est,
Enunciationi ineffabili, quæ duorum extremorum Diuinæ humanæq; naturæ
Copulam mirabilẽ, VERBVM substantiuum Patris significans sine tempore,
genuit in tempore.
Subiecto Incomparabili: de quo duo contraria Prædicata simul enunciantur,
Virginitas & Maternitas.
MEDIO Singulari, stupendæ illius Conclusionis:
Ergo aliqua mulierum est simul VIRGO & MATER.
DEFINITIONI, infinitum finienti.
DIVISIONI, Indiuisibilem omnibus ac singulis largè communicanti.
Argumentationi, contra inferni Sophistas pro nobis directissimè concludenti:
Nec in materia nec in forma: quia in Adam non peccanti.
Semper Augustæ, & Immaculatæ Virgini Deiparæ MARIÆ,
ac
Vtriusque gratiarum MIRACVLO.
Tenerorum Poloniæ Equitum MAGISTRO.
Liberali votorum FIDVCIÆ.
Academicorum GLORIÆ.
Doctorum CORONÆ.
Virtutum APOTHEOSI.
Sceptri Sarmatici præsenti TVTELÆ.
Academiæ Lapidi Terminali,
Nunquam cessuro Tarquinijs qui manubijs ædificant alienis,
Diuinissimo Patriarchæ nostro IOANNI CANTIO,
Inter deuota cæterorum anathemata, vile hoc meum Corollarium,
Theoricam de Termino Logico,
Triplici, verborum veteribus Solennium, funiculo vinctam,
DO, DICO, ADDICO.

Trium inter mancipia minimus
M. B.

QVÆ-

QVÆSTIO LOGICA.

Vtrum Terminus, in quem resoluitur Propositio: dicens formaliter rationem partis in ordine ad Enunciationem: in ordine autem ad construendum Syllogismũ, non tantùm in terminando resolutionem, sed etiam compositionem Syllogismi & Propositionis, habens quidditatem: secundum se consideratus, essentialiter diuidatur in prædicatum & subiectum, nec ne?

CONCLVSIO I.

Terminus est in quem resoluitur Propositio.

COROLLARIA.

I. *Philosophus* Lib. 1. *Priorum non definiuit generaliter omnem Terminum, ex quo potest constare Propositio, vt est Enunciatio; sed vt præcisè deseruit ad construendum ordinem Syllogisticum.*

II. *Terminus, vt definitum in ista Definitione, non accipitur pro quauis voce significante; sed pro eo quod actu terminat Propositionem; qualia sunt subiectum & prædicatum.*

III. *Resolutio Propositionis, non accipitur hic indifferenter pro quacunq; resolutione, siue in principia Materialia siue in Formalia: sed pro resolutione in Materialia tantum.*

IV. *Fieri non potest, vt vlteriùs procedat resolutio Logica extra Terminum.*

V. *Licet Terminus sit principium & pars Propositionis; tamen hic conuenienter à Philosopho definitus est post Propositionem.*

CONCLVSIO II.

Terminus in ordine ad Enunciationem dicit formaliter rationẽ partis.

COROLLARIA.

I. *Terminus vt Enunciatiuus, dicit ordinem ad Propositionem, non solùm vt extremum; sed etiam secundum rationem magis communem, quæ comprehendat sub se nomen & verbum, & alias partes.*

II. *Terminus, quatenus pars Enunciationis, speciali acceptione comprehendit solùm partes Principales, Orationis Dialecticæ, sc. Nomen & verbum, ad quas aliæ reducuntur, vel istarum sunt quædam ligamenta.*

III. *De ratione Termini Logicalis est, vt sit vox significatiua ad placitum.*

IV. *Voces non significatiuæ, vel materialiter tentæ non componunt Orationem formalem. vt* A *non est* B, *nisi subintelligatur vox aliqua significatiua, ratione cuius fiat compositio artificiosa & Formalis, vt Litera* A *non est Litera* B.

V. *Terminus in ordine ad Enunciationem, habet actu Essentiam Termini extra Propositionem; licet non habeat actu exercitium terminandi vel componendi*

illam; non tamen extra Propositionem est prædicatum vel subiectum; sed tantùm prædicabile vel subijcibile.

CONCLVSIO III.

Termini in ordine ad construendum Syllogismum quidditas consistit non tantùm in terminando resolutionem, sed etiam compositionem Syllogismi & Propositionis.

COROLLARIA.

I. Aristoteles, cùm per solum resolutionis officium definiuit Terminum Prioristicum, non est dicendum diminutum fuisse tantùm Philosophum in explicanda Termini essentia.

II. Optima ratione Philosophus, in Definitione Termini Prioristici, potius expressit resolutionem, quàm compositionem.

III. Terminus Prioristicus formaliter non respicit componere, sed inferre veritatem in Propositionibus constitutam.

IV. Licet Termini Syllogismi non concurrant sine verbo ad inferendam Conclusionē, tamen verbum Est vt copulans tantùm, non est Terminus Syllogismi, licet sit Terminus Enunciationis.

V. Dicere Terminum esse extremum Propositionis, magis competit Termino in ordine ad Syllogismum, quàm ad Enunciationem.

CONCLVSIO IV.

Terminus secundum se consideratus essentialiter diuiditur in prædicatum & subiectum.

COROLLARIA.

I. Terminus Syllogisticus in quantum talis, non diuiditur essentialiter per terminationem resolutionis, Prioristicæ, vel Posterioristicæ.

II. Terminus in ordine ad Enunciationem, essentialiter diuiditur in Nomen & verbum. in Mentalem verò, Vocalem, & Scriptum, tanquam Accidens in Subiecta.

III. Reliquæ Termini Diuisiones, licet diuidant Terminum secundum diuersam rationem signi, ex parte rei Significatæ vel modi Significandi; non tamen diuidunt ipsam Essentialem rationem Termini, vt est pars Propositionis.

IV. Verbum semper est prædicatum Propositionis Formale, & vt Quo: poteštque ex illo solo constare Propositio si sit Primæ vel Secundæ Personæ; non perindè si Tertiæ.

V. Nomen si cum Verbo Personali componit Enunciationem, debet esse casûs recti. si cum Impersonali, tunc casûs obliqui erit, natura verbi sic exigente.

VERBO verò INCARNATO SIT LAVS HONOR & IMPERIVM sine Termino.

In Stemma Academiæ & Portam miraculosâ imagine augustam.

I.

Sceptra tuetur Crux: Portam Rex ipse Dolorum,
Coniunctum Imperium cum Ioue Mater habes.

II.

Fasces Doctrinæ Diuino Stemmate fulgent,
Quid mirum est? foribus præsidet ipse Deus.



698 · I.XXII.31.